

Exemplum verminosi non a vermibus epileptici ... / [Joseph Schweikhart].

Contributors

Schweikhart, Joseph.
Sigwart, Georg Friedrich, 1711-1795.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Schrammianis, [1764]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fadhka6b>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

F. 79

E X E M P L V M
VERMINOSI NON A VERMIBVS
EPILEPTICI,

QVOD

DEO CLEMENTER IUVANTE,
CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORVM ORDINE,

P R A E S I D E

MAGNIFICO HVIVS VNIVERSITATIS RECTORE
V I R O

EXCELLENTISSIMO atque EXPERIENTISSIMO,

D O M I N O

GEORGIO FRIDERICO
SIGWART,

PHILOS. ET MED. DOCT. CHIRVRG. ET ANAT. P. P. G.

MED. AVL. WIRT. FACVLTV. MED. SEN.

PRAECEPTORE SVO ET PATRONO AETERNVM PIE
COLENDO,

PRO DOCTORIS GRADV

D. 08. A. MDCCLXIV


H. L. Q. C.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVMBITTIT

AVCTOR RESPONDENS


IOSEPHVS SCHWEIKHART,

Verena - Husanus.



T V B I N G A E.

TYPIS SCHRAMMIANIS.





PRAEFATIO.



um nuper Sectionem pueri cujusdam instituere mihi continebat, singularia quaedam & notatu digniora in eo omnino deprehendebam. Anatomiam hanc pathologicam esse eo magis cupiebam, quo rarius ejusmodi nobis subnascuntur occasiones. Quantumvis vero facile intelligebam, neque morbum ipsum, qui non nisi in vivo existeret, neque causas ipsius ultimas, utpote quae ab obtusis nostris sensibus nimis remotae sunt, vel à morte evanescent, me amplius deprehensurum esse, praegressi tamen morbi, hujusque causarum & symptomatum reliquias explorare mecum constitutebam. Hoc fine non potui non, prius etiam in ipsis morbi, hujusque phaenomena aliis cognita inquirere. Quaerebam ex Parentibus de hac re, percunctabar Medicos in auxilium vocatos, evolvebam acta adeo publica, quae de singulari hoc defuncti casu in Dicasterio Pfuldingensi adservantur, ut propius in ejus rei notitiam venirem. Atque, quod saepius in tanta rerum implicatione accidit, parum notitiae acquirere, nec eam mihi comparare potui, quae plenae sufficeret morbi historiae, quam proinde etiam nemo jam expectaverit, cum rebus hic gestis mihi ipsi interesse non licuerit. Id tamen partim ex ipsa pueri Sectione, partim ex aliorum rescensionibus didicisse mihi videor, quod ad praesentem meum finem, quo memorabilem hunc morbum dissertationis meae inauguralis thema facere constitui,

satis erit. Accipe L. B. propiores hujus instituti rationes. Praecipua haec est : *Audivi puerum hunc, capto anthelmintico, ejusque ope quibusdam eliminatis lumbricis teretibus melius se habuisse. Suspicebam inde vermes mirabilis hujus morbi epileptici auctores fuisse. Deprehendebam tales in defuncti intestinis, & me jam jam veram morbi causamprehendisse, prope mox conjiciebam. Atat animo una recurfabant vivida MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS monita, quibus tam facilia, tam frequentia, tam turpia etiam, & nulla in arte, quam medica tam funesta subreptionis vitia quovis modo evitanda esse, docet.*

Quin immo ipsa tristissima hujus epileptici historia facili idearum nexu in mentem revocabat propius huc spectantem severiorem illam PRAECEPTORIS reprehensionem, qua cum de epilepsia ageret, dignos judicavit eos, qui frustra toties in doctrinis & praxi sua vermes apud epilepticos accusant, quosque ob ipsorum nimis verminosam Pathologiam praxinque haud immerito encephali sui prurigine potius verminantes dixit Pathologos. Verminosum itaque hujusmodi Subreptionis Vitium, in praesenti casu adeo facile evitaturus, morbi hujus rationes diligentius expendebam. Quo itaque factum est, ut, quam ab initio hic prope admississem opinionem, mox vitii subreptionis nomine rejicerem. Discebam inde, meo ipsius exemplo, qui fieri possit, ut in hoc & in similibus casibus Medicorum & Practicorum, quas toties adeo superbe clamant, experientiae nil nisi hujusmodi ignobilia subreptionis vitia sint, quae non possunt non cedere in artis salutaris opprobria, & salutis miserorum maxima impedimenta. Cognoscebam una, quam commissu facilia illa sint, quam vero etiam evitatu non adeo difficilia, nisi in arte experiundi plane hospites simus, aut si quid etiam inde ab artis cogitandi PRAECEPTORIBVS percepimus, in illorum praeceptis exequendis, & ad res nostras quoque medicas applicandis, oscitantiores nos gerere, adeoque turpiter praecipites nos dare velimus in rebus experientiae ad salutem hominum spectantibus. De hisce equidem ita admonitus in casu substrato perquam facile intelligebam, in verminoso hoc, non vermes, ut videri potuisset, sed aliam epilepsiae ipsius causam extitisse. Hinc
natum,

uatum, quod elegi, thema, & dissertationis hujus rubrum, quo fisto: Exemplum verminosi non à vermibus epileptici. Adeo opportunam nec undecunque, vel obiter arreptam vel inani novatu riendi studio, aut inclarescendi pruritu quaesitam hanc scribendi rationem, ratam justamque TE habere L. B. Tua mihi persuadet aequitas atque humanitas. Praeterea nil habeo, quod ad TE hic praefari possem. Id unum adhuc singulari studio à TE contendendo, ut, quae forte minus recte à me dicuntur, amice corrigas, meosque qualescunque conatus aequi bonique consulas.

PRAECOGNOSCENDA,

§. I.

Seu prius scienda, quam ad ipsa *thematis* mei *specialiora* progredi possum, *generalia* inquam, illud ipsum ingredien- ita, adeoque à *praefatione* aliena, & huc referenda, ut- pote ad ipsam *thematis tractationem* spectantia, ante omnia & quam maxime postulant ipsius *thematis* mei accuratiorem *defi- nitionem*. *Thema* autem, quod justus, ni fallor, & legitimus jam exprimit hujus opellæ *titulus*, constituit *exemplum ver- minosi non à vermibus epileptici*.

§. II. *Exemplum* hic propono, vocabulo hoc paululum latius accepto, Casum nempe Singularem non alicujus rei illustrandæ causa tantummodo, sed veritatis probandæ & *vitiis subreptionis* refutandi gratia.

§. III. *Verminosum* hoc casu fisto. Verminosus à ver- mium in ipso præsentia dicitur. Vermes non sunt morbus, ne in ipsis quidem verminosis, adeoque in vulgaribus pa- thologiis ridicule inferuntur morborum catalogo. Non mor- bis, sed morborum caussis accensendi sunt vermes. Morbum, à quo dicuntur verminosi, jam ipsa constituit præsentia ver- mium. Quemadmodum enim qualiumque rerum peregrina- rum in vivis, ita & vermium in iis præsentia est status præ- præternaturalis internus. Talis autem status vi *definitionis* est

est morbus. Ergo morbum, à quo dicuntur verminosi, seu *statum verminosum* constituit jam ipsa vermium præsentia in corpore vivo.

§. IV. Verminosus, de quo ago, erat *epilepticus*. *Epilepticus* vero est, qui summi gradus convulsionibus laborat. *Epilepsia* enim est summus convulsionum gradus. Non me latet, Pathologos nonnullos statuere, *epilepsiam* à *convulsione* plane diversum esse morbum. Sed id ii tantum dicunt, qui *diversa* & *distincta* distinguere nesciunt, & quæ gradu tantum differunt, in species dividunt, adeoque *non dividenda* dividunt, ut alias *dividenda* non dividunt, dividunt, inquam, *distinguenda*, & distinguunt *dividenda*.

§. V. Verminosum, de quo ago, non à vermibus epilepticum fuisse assero, id quod itaque demonstrandum erit. Hujus enim asserti demonstrationem, vi tituli. (§. 1.) præcipuum dissertationis meæ argumentum feci.

§. VI. En exempli hujus, cujus expositionem aggredior, terminos (§. 2-5), quibus meæ itaque hic circumscribuntur meditationes, inde utique metiendæ, ubi de themati huic exæquata, quæ *adcurata technice* appellatur, & esse jubetur, tractatione mihi, meisque illius arbitris dispiciendum est.

§ VII. En *una* (§. 6.), ut *usum instituti* paucis etiam attingam, exemplum sane, quod indicato jam nomine (§. 2.) quo adeo vulgare æque ac damnosum detegitur & removetur *subreptionis vitium*, quam maxime omnino dignum, quod ultra excutiat, & cum PUBLICO communicetur. En! Exemplum porro per se memorabile ob insolita & mira, quæ illud offert, phænomena, exemplum *insuper* ob alias, quæ inde deduci possunt veritates, publicatu haud indignum!

§. VIII. En ultra (§. 1-7.) qua dicendi ratione ea omnia exequi constituerim. Omnia & singula, quoad licet, in epitomen

tomen cogam *liberiori* quidem, nec, quod ajunt, rigorosiore dicendi genere.

§. IX. *En* denique prioribus debite determinatis (§. 1-8.) determinatu jam facilem dicendorum *summam & ordinem*. Demonstratio asserti mei (§. 5.), quo sistam *verminosum non à vermibus epilepticum*, supponit morbi ipsius & *sectionis* morbo hoc defuncti *historiam*, primo itaque loco ponendam.

§. X. Ex hac *thematis varietate & ordinis* partium, quæ illud ingrediuntur, ratione (§. 9.) elucescit justa totius instituti *trimembris* *partitio*, quam juxta ipsa *adcuratior tractatio* abit in III. *partes*, quarum Ima tradit morbi ipsius, II da *sectionis* *historiam*, III tia *Demonstrationem*, *verminosum hunc non à vermibus factum fuisse epilepticum*. Inde jam præedit ante omnia ponenda.

P A R S I.

MORBI HISTORIA.

§. XI.

Puer, cujus morbus jam describendus est (§. 10.) undecim annos, & sanis natus parentibus, colonis in pago *Micro-Engstingenfi* regionis confinio urbi Pfullingenfi juncto. Variolas tenellus adhuc feliciter superavit, & neque inde, neque à dentitione ullum sentiens incommodum postea læta gavilus est sanitate. Achoribus, scabie, aliisque, quibus alias vexantur pueri, ægritudinibus nullis adfectus, sanam degebat vitam, usque annum ætatis suæ septimum.

§. XII. Anno MDCCLX. mens. Jan. improvise adortu univcrsum ipsius corpus, caput præsertim & artus derrepente extumescebant. Tumor hic octo hebdomadas eum detinebat, tamdiu plane clausis ipsius oculis, quos non nisi tum demum detumesciente corpore iterum aperiebat.

§. XIII. Quinto morbi die, oculis itaque (§. 12.) adhuc clausis atrocissima corripiebatur epilepsia, miris subsultuum vicissi-

vicissitudinibus conspicua. Manibus nempe in dorsum retortis, pedibusque decussatis, immobilis tam firmiter detinebatur, ut nulla prope vi ex hoc positu portentoso dimoveri potuerit. Omnis distincta tum cessabat loquela. Convulsiones nullo certo intervallo redibant, & mirum in modum variantes miseri corpus & linguam præsertim agitabant. Portento similis omnibus adstantibus tum videbatur, nunc non dolores quidem, quos nullos sentiebat, sed dolorum quasi defectum ejulans, nunc saltans incredibili prope pedum levitate, atque celeritate, nunc alios mirabiles gestus agens, atque ad innumeras varietatum vicissitudines illos componens. Labris es plenis spumabat, & quod spectatu maxime mirum erat, abdomen cum visceribus abdominis modo in tympaniticum tumorem elevabat, modo mox iterum, & quasi uno ictu convulsus ad vertebrae retrahebat. Paucis: nulla gestuum similitudo prope cogitari potest, nulla partium corporis inflexio, nullus membrorum positus, in quem non transformatus fuisset hic miser prope omnes æmulans motus, cursus, ambulationis, gyrationis, prostrationis, decubitus, intercurrentibus variis erecti rigidique corporis speciebus, prout id ILL. BOERHAVIUS de epilepticis habet in *L. de cognosc. & curand. morb. Aphor. 1073.*

§. XIV. Præterea (§. 12. 13.) præsentæ æque ac cessante paroxysmo omnia perhorrescebat Sacra, de quo, quod ceteris paribus huc traho, Poëta

- - - *Furor impius intus*

- *fremithorridus ore cruento,*

Spumea tunc primum rabies vesana per ora
effluit.

VIRGIL.

§. XV. Quiescentibus convulsionibus bene ingerebat, digerebat, egerebat, somnoque fruebatur quieto.

§. XVI. Magis forsan mecum hic mireris eorum, qui ultra plebem sapere gestiunt, quam ipsius plebis sub hisce phænomenis admirationem. Imbecilles animi facile circa ejusmodi morborum phænomena quoque, ut alias facile superstitionem concipiunt,

cipiunt, accusantque mox Dardaneas artes, incantationes, fascinationes, devotiones, philtrea, veneficia, & nescio, quas alias præstigias, Dæmonumque, atque Magorum, maleficarum & volaticarum mulierum ludos. Idem & hic accidisse, quis miratur amplius, nec potius dolet mecum, in tanta luminosioris Seculi hujus luce, usque eo nihilominus adhuc cæcutire populum nostrum, & superstitionis hodiernum adeo plenum esse, & commemoratis pariter phænomenis morbosis non ægri modo & parentum, sed & ceterorum ejusdem pagi incolarum, & vicinorum animos superstitiosos inani fascinationis metu percussos fuisse.

§. XVII. Ipse hic puer, cujus rudem animum hi vulgi errores vel a parentibus suis, vel ab aliis superstitiose credulis accepti infestabant, dicebat, se comedisse placentæ, cui baccae nigrae immixtae fuissent, frusturum, à muliere quadam, quæ venefica & saga haberetur, oblatum

§. XVIII. Pater superstitiosus & vanis ejusmodi opinionibus occæcatus, filium hunc in monasterium quoddam transferebat, & ordinis Ecclesiastici Medico scilicet, (Medicaastro enim eo ipso rectius dixerim, quia barbare) committebat, à quo certa expectabat auxilia antimagica. Sed fefellit eum & hujus consilii authores bona scilicet! hæc expectatio. Eventus non respondebat. Miserrimus caducus &, quam ob ipsum morbum, ob vana hæc tentamina potius miserrimus æger redux à Clerico artis adulteratore, nihil levaminis reportavit.

§. XIX. Irrito etiam hoc tentamine nondum sapiunt Phryges. Inhærent superstitioni semel conceptæ. Fascina ultra quærunt fascinationis alicujus vana opinione decepti. Alium Clericum adeunt, ipsique res filii sui committunt superstitiosi. Hic eum tam medicamentis, quam crebrioribus benedictionibus iterum mactabat, egregie scilicet!

§. XX. Quibus autem medicaminibus, amuletisve & anti magicis usi fuerint, aut ut rectius loquar, quo medendi tentamine falcem suam in alienam messem immiserint uterque horum

artificum, quibus non corporis, sed animæ cura commissa est, equidem rescire non potui. Referebant, alterum medicamina in forma pulveris, olei, & specierum ex herbis exhibuisse. Neque diffiteri possum, de rebus hisce explorandis me parum sollicitum fuisse, qui operæ pretium non esse existimaui, ejusmodi expiscari arcana, vel plane sana sunt & inania, vel forte, casuque tantum frivola aulæ compensant nonnunquam.

§. XXI. In irritum saltem hic cadentibus omnibus istis fabulosis pollicitationibus natura auxiliatrice sponte in meliora jam revertebatur rerum status. Cessabat morbus caducus, nec amplius recurrebant convulsiones.

§. XXII. Remanebant tamen duo illa ulcera, quæ à principio morbi orta fuere, unum nempe prope parotidem, alterum in pedis dextri tarso. Subsistebant illa, nil aut parum mutata, nullisque notatu dignioribus symptomatibus stipata, usque ad Mens. Jan. MDCCLXIII.

§. XXIII. Hoc anno, eodem, quo anno MDCCLX. mense, morbi vis reviviscebatur, & prægressis, quos ex pede læso persentiscebatur doloribus, eadem & æque gravia, quæ supra (§. 13.) descripta sunt, symptomata, misero ingruiebant.

§. XXIV. Ecquid quæso jam nunc consilii? Qui semel nil sapiunt, nec sero sapiunt Phryges: Credulus & suæ religionis immemor pater nil in mora habet, quin quam primum cum filio suo ad suum iterum confugeret medicum, clericum scilicet (§. 18.) Sed meliora sentientes, impium hoc ipsius consilium judicabant, atque Magistratui de eo denunciabant. Quo itaque factum est, ut jussu Magistratus ab instituto suo depulsus, ad Medicos legitimos recurrere, eorumque auxiliis uti, cogeretur.

§. XXV. Hi (§. 24.) dein pro morbi causarumque ac symptomatum morbi variantibus conditionibus varia in usus vocabant medicamina. Præter nempe vulgo sic dicta specifica antepileptica, alia aliis nominibus venientia & temperantia, antepileptica, nervina, purgantia, anthelmintica, mercurialia, jalap-

jalappina, ꝥ ꝯii ꝯat. ꝯtia ꝯræcipitat. Pæon. visc. quern. ꝯ fuc-
cin. ꝯle, Molch. rad. Valerian. cet.

§. XXVI. Nolim hic inutilibus & ad rem præsentem nil
facientibus disquisitionibus occasionem præbere recensione do-
cium formularumque, quibus præscripta sunt dicta medica-
mina. Ut enim res ipsæ illas ingredientes harumque quibus
ordinantur formæ in formularibus medicis exscriptæ satis su-
perque cognitæ sunt, ita & eorum bræbia, ususque artis peri-
torum neminem latent.

§. XXVII. Id vero boni indicata (§. 25.) media medica
brevi efficiebant, ut non modo plurimam saburram, sed & lum-
bricos quosdam teretes è corpore ægri eliminarent, quo factò
motus epileptici reapse aliquantulum mitigabantur quidem,
nondum vero plane cessabant.

XXVIII. Ulcus quoque (§. 22.) quod in mala remanse-
rat, sub his medicationibus coalescebat. Alterum autem in
tarso serpendo increfcebat, atque fistulosum evadebat, saniem
ichorosam fundens, simulque ossa tarfi & metatarfi infestans.

§. XIX. Chirurgus tandem mens. Oct. Anni MDCCLXIII.
pedem extremum amputabat, & illum quidem, quod bilem
moveret artis Magistris, in ipso sui cum tibia articulo rescin-
debat.

§. XXX. Ab hoc tempore (§. 29.) puer aliquamdiu me-
lius se habebat, actiones ipsius animales & naturales in ordi-
nem redibant. Aliquando tamen post anginodea sentiebat in-
commoda, deglutitionem maxime impredientia. Hæc sensim ex-
cipiebat colli tumor, in latere dextro præsertim conspicuus.
Chirurgus huic tumori cataplasmatibus emollientibus occurre-
bat, hisque itaque suppurationem promovebat. Apostema
inde natum apertumque tandem circiter libr. IV. puris effun-
debat. Fistulosum tamen ibi remanebat ulcus, continuo acio-
rem plorans saniem.

§. XXXI. Hoc sub statu res ægri, hæctenus à convul-
sionibus liberi, quæ demum sex, septemve dies ante ipsius ob-
itum

itum recurrebant, indies in deterius ruebant, donec summe emaciatus proximo mens. Iul. è vita discedebat.

§. XXXII. Præmissa itaque hujus morbi historia, indicandum mihi jam est, quid in ejus à me dissecto, & solícite explorato corpore deprehenderim. Ordine itaque præscripto (§. 10.) sequitur.

PARS II. SECTIONIS HISTORIA.

§. XXXIII.

Adaperto pueri abdomine, sequentes sese mihi offerebant præternaturales viscerum ejus status. Intestina partim maculis nigris passim infecta erant, partim plurimis lumbricis teretibus ubique scatebant. Pars intestini jejuni ad sex pollicum transversorum longitudinem adeo contracta erat, ut calamum scriptorium vix, ac ne vix quidem caperet. Pancreas & glandulæ meseraicæ pleræque induratae erant. Vesica fellea insignem bilis continebat copiam. Vesica urinaria quibusdam in locis inflammata apparebat.

§. XXXIV. Medio nunc ventre recluso singula eo contenta viscera oculis manibusque, & cultro anatomico subjiciens, præter top hos nonnullos, pulmones obidentes & polypos quosdam arteriam pulmonalem, & cordis ventriculum sinistrum occupantes, nil, quod hic notari mereretur, deprehendebam.

§. XXXV. Cranio adaperto apparebant venæ, sinusque venosi sanguine tenui valde & seroso infarcti. Cerebri ventriculi anteriores turgidos referebant faccos, serosa illuvie plenos, è quibus incisilis integra prope libra ejus materiæ effluebat. Ventriculus quoque tertius eadem serositate scatebat. In reliqui cerebri & cerebelli paritibus nullum peculiarem statum præternaturalem observabam, præter duo foramina, alterum ex dextro, alterum ex sinistro ventriculo productum.

ctum. Vtrumque diametri linearum duarum Parisiensium amplum erat & ad ventriculum tertium ducebat.

§. XXXVI. Partes ulcere fistuloso antea exesas examinans observabam ductum à tuberculo magno occipitali usque ad apophysin transversam vertebræ primæ continuatam, plenum puris crassioris. Vertebra prima & secunda colli, nec non partes externæ foraminis occipitalis magni carie turpiter exesæ erant. Tibiæ & fibulæ extrema inferiora, magna parte pariter cariota conspiciebantur, & medullam degenerem atque loturam carnis referentem, continebant.

§. XXXVII. Hactenus *Sectionis* meæ *historia*. Huic si addimus *morbi historiam*, parte prima communicatam, nulla supererit difficultas demonstrandi, *verminosum*, de quo agitur, non à *vermibus epilepticum* factum fuisse. *Morbi* enim & *Sectionis historia* eas nobis suppeditat *probandi* & *decidendi rationes*, quibus stantibus facile cadunt, quæ contra illas proferri possent *dubitandi rationes*. Et hoc illud ipsum est, quod adhuc mihi hæret excutiendum (§. 10). Sequitur itaque

PARS III.

VERMINOSVS NON A VERMIBVS EPILEPTICVS.

§. XXXVIII.

Quam facile fieri possit, ut Medicus clinicus incautus multum de morbo morbive causâ exploratum, compertumque se habere putet, ubi reapse parum aut nil de istis expertus est, res ipsa loquitur. Quam vero etiam frequentes sint ejusmodi in experientia errores, sine errore ipsa docet experientia hic certe perquam facile libera ab omnis *subreptionis vitio*, quum haud facile cuiquam sese subripiant tam vulgaria tamque exstantia hujus notæ in foro nostro exempla. Aper-te satis ista se produnt quam maxime etiam in clinica ad epilepti-

lepticos per *individua* applicunda ætiologia & inde repetenda
 iplisque adhibenda therapia, in qua vel ubi adeo plane nulli
 sunt vermes, vel si quando in illis adsunt, epilepsiæ auctores
 non sunt, hos toties frustra accusant, suisque anthelminticis
 solis tam operose impugnare student, ut, qui id audiunt vi-
 dentque, dubios relinquant, utrum eorum ægri, an illi ipsi
 potius sæpiusque vermiculentur. Audiverunt, legerunt, v.
 c. in junioribus præsertim frequentiores esse vermes, & sæ-
 pius etiam ab hisce in epilepticum statum illos conjici. Hinc
 quotiescunque tales ipsis offeruntur epileptici, ne dubium
 quidem amplius ipsis est, quin vermes adsint, hunc morbum
 producentes, quid! quod eandem opinionem erroneam ab ho-
 rum ad ceterorum omnium epilepticorum curam transferant.
 Sicubi armis suis ejusmodi hostes ejectos observant, sin insu-
 per illis exturbatis paululum melius ægroto factum est, vel
 datis anthelminticis cessarunt adeo motus epileptici, tum ho-
 rum causam vermes esse, vel fuisse juraverint citius, quam
 dubitaverint amplius, existimantes certissimæ id esse experien-
 tiæ. Quis experientium quæso hic non videt experientiæ er-
 rores, qui *subreptionis vitia* appellantur. Ideone obsecro,
 vermium præsentia in hoc illove epileptico est res experientiæ,
 quia in aliis observati sunt epilepticis? Ideone in experientia,
 quam habere perhibent de Titio epileptico reapse etiam ver-
 minoso continentur vermes, ut causa ipilepsiæ ipsius, quia
 alias in aliis hunc morbum causerunt? Nonne is ipse epilepti-
 cus, quem à vermibus epilepticum esse, sæpe non suspican-
 tur modo, sed esse contendunt, plane à vermibus liber esse
 potest? Nonne si in illo adesse etiam observantur vermes,
 sin, addo, his expulsi adeo melius se habet, nonne tum sæpe sæ-
 pius plane alia sub esse potuit causa convulsionum ipsius?
 Nonne anthelmintica ista non ideo, quia ut anthelmintica,
 sed quia ut antepileptica simul suum edidere effectum, vel
 mitigari vel plane cessare potuerunt motus convulsivi? Quæ
 anthelmintica vulgo dicuntur, certe non ea sunt, quæ ut spe-
 cifica, solos vermes deturbando intestinorum cloacam expur-
 gant, verum aliis etiam corporis inquinamentis, vel his ante
 jam

jam existentibus vel huc demum derivatis, ut aliorum gravissimorum morborum ita & atrocissimarum convulsionum causis, una potenter purgant intestina.

§. XXXIX. Quos heic (§. 38.) tango vulgi errores in re tam gravi quovis modo evitandos, eos ex ore MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS repeto, qui istos in prælectionibus eo omnino tetigit tenore, quo ego istos hic repetere non potui. Vtunque autem Præceptoris mentem attigerim, à me attamen ista *subreptionis vitia* hic intacta relinqui non poterunt, quoniam, quam tracto, res ipsa apposite id postulabat, prætereaque aliorum errores cognoscere cognitosque remove, sicque errantium quoque periculis discere haud parum juvat in arte nostra. Mea equidem, quod probe sentio, nondum eo provecta est in rebus medicis dijudicandis cognitio, ut proprio Marte aliorum detegere possem errores, qui de evitandis propriis ut cum maxime sollicitus esse jubeor. Sed ob id ipsum ut meos, ita & aliorum ab aliis artis peritioribus detectos errores rescire, iisque meliora edoceri, gestio. Quam jucunda, quam proficua & hæc sit discendi ratio, in substrato casu expertus sum. Profecto namque, quod supra jam candide professus sum, parum absuit, quin hic per devia *subreptionis vitia* in nimis verminosam, de epilepsia doctrinam abreptus fuerim, nisi quidem tam severe prius monitus fuisset, ut hunc evitarem errorem. Ita vero probe cognita aliorum non modo, sed meæ ipsius in rebus nostris ætiologicis errandi proclivitate, hujus conscius, didici, cautio-rem me gerere in dijudicanda hujus epilepsiæ causa.

§. XL. Non me quidem fugit, vermes in nostro epileptico non sine erroris periculo accusari posse, dictu probatuque hætenus quidem facilius fuisse, quam jam demonstratu, eos revera in illo non existisse auctores convulsionum ipsius. Magnam enim veri speciem facit eorum in illo certa præsentia, (§. 26. 33.). Majorem illam reddidit ægri levamen, quod
illis

illis expulsiſis ſentiebat (§. 26.). At his omnibus non obſtantibus certum habeo, exploratumque, quod jam demonſtratum ibo, eum nempe non à vermibus, ſed aliunde epilepticum factum fuiſſe.

§. XLI. In quocunque morbo cauſſæ ipſius propius ſeſe nobis offerunt certiores & extantiores, in eo minus certæ & longius petitæ, quæ inſuper vix ac ne vix quidem veri aliquam habent ſimilitudinem, non accerſendæ ſunt.

Hæc regula in præſentem utique quadrat caſum. Vtut ſpecioſa videri potuiſſet modo allata (§. 40.) de vermibus ſuſpicio, huic tamen plane contraria eſt manifeſta illa cauſſa, quam morbi & Sectionis hiſtoria ubique produnt. Repentina univerſi corporis intumeſcentia (§. 12.) indicabat miasma argaſticum per omnes totius corporis humores diffuſum. Pedileſquæ convulſiones atrociffimæ (§. 13.) teſtantur in illo exiſtiſſe ſummum irritamentum. Hocce irritans de acrium genere fuiſſe, oſtendunt cetera phænomena, cauſticam humorum indolem manifeſtant ulcera cacoëthea illa (§. 22.) ſaniem ichoroſam fundentia, atque non molles tantum, ſed & duras partes exedentia (§. 28, 36), quorum alterum ab initio morbi (§. 22.) ſubſiſtebat, donec Chirurgus illud cum pede miſeri reſecabat (§. 20.) alterum ab eo tempore (§. 22.) uſque ad vitæ finem durabat (§. 30.). Altero hoc quidem ulcere in apoſtēma mutato humores paululum mitiorem naſti fuerunt indolem, mutato ſic ichore illo acriori in pus magis coctum (*l. c.*), reliqua tamen humorum maſſa ſatis adhuc corrupta ſuperſtes erat. Particularis hæc erat mutatio ad locum affectum immediate à Chirurgo adplicatis cataplaſmatibus (*l. c.*) & plurimis antea datis medicamentis internis (§. 25, 27.) tribuenda. Magnam corruptionem quoque indicabat copia puris illius, procul dubio non plane cocti cujus, cujus aliquot libras effundebat apoſtēma (§. 30.). Remanebat inſuper fiſtuloſum malum, continuo acriorem plorans ſaniem (*l. c.*).

Præterea ab eo tempore, quo alterum exficcatum erat ulcus, (§. 28.) & quo chirurgus pedem ex articulo, adeoque cum hoc præcipuum fomitem rodentis illius ichoris refecerat (§. 29.) æger levamen sentiebat, & à convulsionibus epilepticis immunis vitam degebat ad hujus usque ultima (§. 30.). Quo novo argumento satis superque confirmatur, epilepsiæ hujus *causam* nisi solam *concurrentem* tamen fuisse eandemque præcipuam. Plus inde jam nondum infero. Solam enim fuisse mox infra ostendam. Ceterum dictis momentum addit notabilis illa conditio epilepsiæ anno MDCCLXI I. recidivæ. Recursabat hæc nempe prægressis ex pede exulcerato doloribus dictam causam ipsius luculento iterum prodentes indicio. His omnibus addenda sunt sectione cadaveris detecta. Namque non modo partes solidas molliores imo vero duras ab acri hoc latice exesas deprehendi (§. 30.) sed & ipsa medulla (*l. c.*) massaque sanguinis ipsumque cerebrum terosa hac illuvie scaterere observavi. (§. 25)

§. XLII. Cum itaque inde (§. 41.) evidens & verosimillimum sit, ab illa humorum dyscrasia acri repetendos esse stimulos hostiles, quibus excitatæ fuerunt pueri hujus convulsionibus, equidem non video, quam ob rem in ætiologia tam manifesta, vel vermes accusandi sint, vel aliæ causæ minus probabiles amplius quærendæ. Sed nolo jam in maxima etiam veri hac similitudine subsistere. Nefas enim esset omnino in rebus nostris medicis sola verisimilitudine ad maximum etiam gradum evecta acquiescere, ubi cognoscenda & agenda nostra ad certitudinem evehere possumus. Quod itaque promisi (§. 5.) & modo dicta artis nostræ lex postulat, jam exsequar. Firmioribus ostendam argumentis, non probabile tantum sed certum plane esse, proximiorē epilepsiæ illius causam solam fuisse indicatam humorum acrimoniam, adeoque neque aliam, neque vermes. Præter illam dyscrasiam, & vermes in puero hoc nullus alius deprehendebatur status præternaturalis, qui vel levissima conjectura pro causa epilepsiæ ipsius haberi posset, (§. 12-36.) Vermes non solos produxisse hanc epilepsiam ex

demonstratis (§. 41.) jam patet. Superest, ut evincam hos ne quidem *concausam* hujus mali fuisse.

§. XLIII. Asserti hujus (§. 42.) argumenta sat valida nobis suppeditant Morbi & Sectionis historia. Percurram ista eo, quo in hac nobis offeruntur, ordine. Primum suggerit jam ipsa morbi invasio. A principio ipsius totum ægri corpus mirum in modum, & derepente extumebat (§. 12.) Tumor hic quinque dies eum detinebat nondum convulsus. Hoc phænomenon certe in vermium incitamentis suam non agnoscit rationem. A vermibus quidem antea etiam nondum observatis ex improvviso convulsiones excitari posse, negari non potest, sed ejusmodi tumorem universalem repentino quidem ortu produci neque ratione neque experientia constat. Hujus phænomeni causa profecto in ipsa humorum dyscrasia potius quaerenda est, nec ex sola solidarum partium viridatione intelligitur.

§. XLIV. Asserti nostri argumentum quoque præbet ipse partim dubius, partim levior status ægri verminosus, & convulsionum atrocia cum illo comparata. Dubitare enim licet, an à principio morbi jam adfuerint vermes. Nulla in antea tam sano puero (§. 11.) deprehensa sunt eorum vestigia. Sed posita etiam ab eo tempore adeo dubia eorum præsentia, certum tamen est, eos neque tantos fuisse neque tanta adfuisse copia, ut culpa in eos rejici possit, si cum illis convulsionum vehementiam (§. 13.) harumque invasionis repentinæ conditionem (§. 12.) comparemus. Datis licet non modo à Medicis ordinariis (§. 25, 27.) verum etiam procul dubio ab utroque Mangonum illorum clericorum adhibitis vermium hospitia per alvum expurgantibus non nisi pauci iidemque teretes eliminati fuere vermes. (§. 27.) Præterea neque ante neque post has medicationes plures grandioresve observati sunt. Id quod sane ne vel parum attentos plane effugere potuisset, si quidem is in hoc ægro adfuerit status verminosus, à quo tanta produci potuisset convulsionum vehementia.

§. XLV. Robur huic argumento (§. 44.) majus addit experientia, quam habemus de iis verminosis, ex quibus innumeri & insignis molis lumbrici, quin horum grandiores nidi expulsi fuere, qui tamen nullas experti sunt convulsiones. Tantum itaque abest, ut à leviori statu verminoso tam atroces derivari possint motus convulsivi.

§. XLVI. Nullius quoque momenti non est in probanda mea thesi anthelmintica mira illa sacrorum averlatio. Non enim præsente, sed & cessante paroxysmo perhorrescebat Sacra omnia (§. 14.) Ejusmodi phantasmata cessante etiam paroxysmo epileptico inhærentia à vermium lusu morsuve nemo facile derivabit.

§. XLVII. Ante convulsionum recusum ex pede, non ex abdomine dolebat. (§. 23.) Inde iterum concludere licet, novum hunc impetum non fecisse hostes illos primas occupantes vias, qui in his sane non adeo quieti delitescere potuissent, ut æger nullum inde unquam sensisset incommodum.

§. XLVIII. Neque status præternaturales, quos sectione cadaveris deprehendi (§. 33-36.) à vermibus inductos esse, luculenter patet. Quin imo ipsa sectionis historia præcipuum asserti mei argumentum continet. Dissectis intestinis plurimos ubique in illis deprehendebam lumbricos. Hi ultimis vitæ diebus non demum prognati sunt. Magna itaque & majore, quam sub ipsis, quibus antea adfligebatur convulsionibus (§. 27.) copia adfuerunt eo tempore, quo ab his liber existeret. (§. 31, 33.) Si itaque vermes illas produxissent, multo graviores tum experiri debuisset insultus. Sed non modo non majoribus corripiebatur, verum pluribus adeo præsentibus hisce hostibus nil ejus mali patiebatur. Quemadmodum itaque à principio morbi procul dubio absentibus & fin etiam tum jam adfuissent, postea tamen expulsis (§. 27.) nihilominus convellebatur, ita nunc non convellebatur hisce majori adeo copia præsentibus. Ex quo & præmissis omnino firmiter concludere licet, verminosum hunc non à vermibus epilepticum factum esse. Q. E. D.

§. XLIX. Liceat quasdam , quæ contra hæctenus prolata asserti mei argumenta adduci possent , subjungere dubitandi rationes , utut forte minoris roboris futuras , quam erunt istæ , quæ contra illa proferentur in gravissimorum Disputantium subfelliis.

§. L. Primo quidem obverti posset , adducta argumenta non æque valida esse & eorum quædam forte infirmiora. Non ejusdem ponderis ea esse ipsemet largior. Sed velim ista non separatim sed junctim sumta benevole interpretentur demonstrationis hujus judices.

§. LI. Dubium etiam videri posset meum assertum , quod ejectis vermibus tamen melius se habuerit hic epilepticus. Sed melius se habuit , regero , non quia aliqui expulsi sunt vermes , sed quia cum his una eliminata est saburra convulsionum genitrix , vel in hoc vermium hospitio ante jam præsens , vel iis ipsis sic dictis anthelminticis huc delata. Neque enim putandum est , ejusmodi medicamina solis vermibus liberare hæcce vias.

§. LII. Respondebam supra ætiologiæ verminosæ Patronis , qui in hoc quoque casu illi inhærere vellent , puerum illum præsentibus etiam vermibus non convulsus esse. In hoc insuper præcipuum sententiæ meæ robur posui (§. 48.). Atat illos mihi hic instare video , haud levi , quam in promptu habere conjicio , exceptionis exceptione. Ad ipsis ibi datam responsum rursus respondebunt , non sequi , ut à vermibus non convulsus fuerit , quod iis adeo præsentibus non fuerit convulsus , cum pariter non convulsus fuerit præsentibus adhuc illa dyscrasia , (§. 21. 22.) cui nihilominus tribuendam esse dixerim hanc epilepsiam. Verum enimvero plus illud involvit responsum , quam quod hac repellunt exceptione. Majori copia præsentibus vermibus ægrum ab epilepsia liberum fuisse , asserui. Illum contra non utique aucta sed nisi quidem correctâ , imminuta tamen , & ex parte eliminata illa dyscra-

dyserasia melius se habuisse statuendum esse existimavi. Id enim aperte ita fert morbi historia, ex qua intelligimus antea datis pluribus evacuantibus, & quæ inter hæc pariter militant vulgo sic dictis anthelminticis (§. 25, 27.) & resecta ab illo artifice scilicet insigniore causæ hujus mortificæ sede (§. 29. 30.) demum cessasse motus epilepticos.

§. LIII. Ad argumentum illud, quod à pauciori vermium copia & convulsionum atrociam cum illorum paucitate comparata deduxi, Pathologi verminosi ultra dubitare possent, annon à pauculo etiam seminio verminoso excitari possent ejusmodi motus. Id equidem haud negaverim. Verum tantum id accidit in tenerioribus, qui acutiori corporis irritabilitate animique sensilitate gaudent. Robustus autem erat duriori vitæ generi addictus hic epilepticus. Neque adeo frequentes sunt à vermibus oriundæ convulsiones, ut putant nonnulli dicti nominis Pathologi. Haud etenim tam facile, ut vulgo statuunt, adeoque rarius verminosis stimulis excitantur convulsiones. Id quod luculente docet experientia, qua constat, frequentissimos esse verminosos, minus contra frequentes, quin si hos cum illis comparaverimus, multo rariores existere epilepticos. Quin imo observati sunt, & adhuc observantur ubique verminosi, qui incredibili & tanta vermium foetura scatent, ut eorum intestina mera prope videantur sentina verminosa, qui tamen nullos inde sentiunt stimulos epilepticos plane immunes ab omnibus convulsionibus.

§. LIV. Nescio an dignum sit, quod hic addatur dubium, à convulsionibus, quæ paullo ante obitum ægri recurfabant (§. 31.) petendum. Videri posset, illas à vermibus excitationes fuisse, cum omnino plurimis tum obitus erat vermibus, sectione deprehensis (§. 33.) sed facilis est ad hoc dubium responsio. Paucos dies ante obitum suum illis rursus corripiebatur. Cur non multo ante? Nonne pluribus ante diebus adfuerunt hi hostes? Cur ergo nunc demum culpa in eos rejicienda esset? Ultima hæc fuit non vermium sed naturæ ipsius ægri lucta.

§. LVI. Atat cui tandem bono ista omnia tam operose adhuc demonstrata? Quid ad nos verminosus ille epilepticus, quem mors præmatura Medicorum suorum manibus eripuit, quem therapiae illius verminosæ artificii anthelminticis non amplius obnoxium sepulcrum ipsius vermium escam custodit inter ipsos vermes quietum, adeoque licet non ab his inter hos ipsos tamen cadaveris ipsius custodes ab epilepticis torturis æque ac ab omni hujus vitæ malo liberatum. Quis ergo usus haberi poterit ex proluxa hac de isto dissertatione. Quid juvat artem nostram, rescire facto defunctos hoc illove morbo laborasse, adeoque hac illave methodo curari oportuisse? Quid ergo juvat heic nosse hunc puerum *verminosum non a vermibus* epilepticum factum fuisse? Iuvat utique, regeo, juvat, quam maxime juvat, & *proxime* quidem nostram de Epilepsia & *remote* ceteram de aliis morbis, tam *Ischologiam*, præsertim *aetio-logicam*, quam *therapiam*, praxinque ad hujus præcepta per individua adornandam. Sic etenim non modo gravissimos errores, *subreptionis* vitia tam frequentia, tam noxia artis nostræ nec non quidem suspiciose accepta, sed data profecto, artis nostræ scandala ut aliis consimilibus exemplis ita & hoc dediscimus, & discimus una illis admoniti meliora sapere. Faxit, DEVS, ut meam hanc opellam idem, quem omnino habui (§. 27.) & pro virium mearum tenuitate obtinere annisum sum, coronet

FINIS.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO atque DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

ADFINI SVO DVLCISSIMO

S. P. D.

P R A E S E S.

*V*eritas se ipsam æterna tuetur vi & acrius quam constantius concitatos impetus contemnit, reprimitque.
Alias

- - Bella gerunt nullos habitura triumphos

Hæc victrix semper & ubique triumphat. Pugnat autem, vincitque ut plurimum nuda quidem, rejectoque omni fluxiore ornatu. Sed & aliquando levioris armaturæ hostes, prout eorum genius id fert, ornatior adoriri solet citra pulverem & sine luctu incruentam & jucundiores deportatura victoriam. Talis mihi esse videretur ipsius, quam hic committere posset, pugna anthelmintica.

Ecce Tibi hic arma ipsius pulciora, quam atrociora. Status verminosus consistit in præternaturali verminum

um in vivis præsentia. Qui ex hoc laborant statu, verminosi appellantur. In erronea illa de vermibus opinione pathologica mente concipiuntur vermes, ut epilepsiæ authores. Hæc eorum in mente præsentia constituit Pathologiam verminosam, nullo certe alio, qui aptior esset, termino tecnico exprimendam. Quicquid itaque eam fovent, eo ipso concipiunt, conceptosque in se fovent vermes. Vt hoc itaque nomine verminosi quid alunt, ita inde quam rectissime compellantur verminosi. Si quem forte male haberet innocentissima hæc denominatio ab eo aliam, quæ melior esset aptiorque, expetere liceret. Verum non apte modo exprimis, sed modeste quoque exponis res TVAS, INCUNDISSIME AMICE! in eo utique laudandus, quod, quam in refutandis vulgi erroribus adeo facile prævidēs alicujus in alios injuriæ suspicionem, prævertere studeas, ac præsertim una ægri TVI Medicos omni hic noxa exemptos esse velis, utpote quos anthelmintica, quæ in morbo hoc complicato omnino danda erant, neque sola neque solo fine anthelmintico dedisse scribis, & potentissima etiam antepileptica adhibuisse commemoras. Sed quid multum de hoc, ubi inter bonos nil opus est excusatione, quæ tota huc redit: Quicquid thesin tuam anthelminticam legunt, aut ii ipsi sunt, quorum tangis errores, aut alii, qui hisce erroribus non implicantur. Posteriores ad istam, quod doleant, certe non habent.

Do-

Doleant priores , quos ista dolere vult , neque vero ideo se læsos esse clament. Pannum potius in os faciant , ne se ipsos prodant , convinci nescios. Infontes incusare injuriosum omnino est , sed fontes inculpare , jure utique culpandos , injuriosum quis dixerit ? Præterea non dictis tantum modis probandum , justum , omnimode sobrium & modestum TE præbes Dissertationis TVAE Authorem , sed & minus vulgari in meritis TVIS verecundia minus , quam par est , TIBI vindicans , eo modestiæ procedis , ut ipse moneas tantum abesse , ut in celatis habere velis , ut potius exoptares , ut apertius in publicam veniret notitiam , me Tibi Authori Authorem quarundam rerum partim meis addendarum , partim ab his demendarum , partim paululum aliter inflectendarum fuisse. Inde autem quid quaeso , TIBI mihive ? Nil aut parum ejus esse video , & culpabilem in eo TE dicamne potius , an inculpabilem , ambigo. Quod nimium in virtute , virtus non amplius est. TVA quoque in edendo hoc specimine moderatio & modestia nimia prope mihi esse videtur , & quicquid etiam sit , quod TE adeo verecundum reddat , illud equidem non perspicio. Quod ad historiam morbi , de eo , nisi quod à TE ipso conceptis verbis relatum accepi , ego sane aliunde nil quicquam cognitum habeo. Deinde nonne TVTE Tuum TE ipsum dissecuisse puerum amplius meministi ? Nonne itaque certus historię morbi Author es , quam in prima , nonne una es Auctor Sectio-

nis & historia Sectionis Tuæ , quam in secunda , nonne porro Auctor ipsius quoque sententiæ anthelminticæ , quam in tertia Dissertationis TVÆ parte defendis ? Nonne proinde totius dissertationis per omnes & singulas ejus partes verus es Auctor ? Auctor equidem omnino fui monitorum , quæ adeo lubenter admisisti. Ideone vero TV non es Auctor eorum , quæ ad mea monita executus es ? Quis quæso adeo injurius esse posset , ut Nobilioribus Candidatis hunc honorem suspectum redderet , aut ideo denegaret , quod ad Præceptorum suorum Præcepta & Placita sua elaborarent ? Nonne eo ipso justiores suorum tentaminum Auctores censendi sunt ? Quemadmodum itaque non pulcre modo tamque sobrie & inoderate , verum etiam solide TVAM exposuisti thesin anthelminticam , ita in cathedra inaugurali , quam unanimi Ordinis nostri consensu ex dignitate conscendes , eam eadem dexteritate defendendo TE publico profectuum Tuorum argumento commonstraturum esse confido , quod vera sint omnino , quæ modo dixi , TE nempe indicato nomine idoneum ejus fuisse Auctorem. Gratulor TIBI Tuisque , quos jure ambis , honores. Perge , quo cæpisti , DVLCISSIME AMICE tramite , neque TE sine unquam avocari ab eo ipso , in quo TE modo per jocum quasi deprehendi. Esto , inquam , ut es , semper infra aliorum æstimationes TE metiens , parcissimus meritorum Tuorum æstimator.

mator. *Esto jam in accipiendis & gerendis honoribus verecundissimus. Nunquam, crede, hujus TE pœnitebit modestiæ. Ut hucusque cavere studuisti, ne quid verminosi aleres nullisque æstuantis cerebri pectorisque verminationibus vitiatus existeres, ita, ne quid in posterum TIBI subrepat, quod subreptionis vitio ipsemet repudias, cave, nunquam is faturus, quem culpa redarguit ipsum. Ita vero usu adversus hujus vitæ insidias intentum TE tutum præstabunt divina auxilia veræ pietatis studio, precibusque ad omnis salutis nostræ Auctorem fundendis impetranda.*

Dabam è Mus. d. 27. Oct. MDCCLXIV.



